

Luna in medio cœli in Cancro, uel piscibus, applicans Veneri in septima domo existenti. Addo ad hæc, quòd bestia, quibus ungulae sunt, commode petuntur, Marte aut Luna medium cœli possidentibus. De lupis, apris, ursisq̃, cæterisq̃ feris truculentissimis, illud unicum obseruabis, ne Mars sit in angulo, & ascendens in signis quadrupedibus, ne ue Luna aut sexta à maleficis, aut earundem radijs sint impeditæ. Pro auibus signa aëria ualent & uolatilia, qualia sunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Pisces, si Luna in ipsis fuerit applicando ad fortunatum, & in bono loco constitutum Mercurium. Pro aquaticis auibus uenandis, prope eadem ualent, illo unico addito, ut Luna planetæ in signo aquatico, Scorpione excepto, existenti applicet. Postremò adnotandum est, planetis retrogradis in angulis existentibus, & eisdem Luna applicante, maxime si infortunata fuerit, uenatoribus non sanè commode succedet, nec cum multa præda reduces erunt.

Opera metallorum in igne perficere, siue alchimia^æ artem exercere.
Canon XX.



Nomni illlo opere, quod igne ut instrumento perficitur, Lunæ locus & ascendens sint in signis communibus, & igneis constituti, saluis ambobus ab infortunatorum radijs. Similiter significator eius rei, quæ igne præparare uolumus, & medium cœli, bene disponantur, & in bono loco figuræ significatore constituto, ut si aurum fuerit, Sol: si argentum Luna: si plumbum, Saturnus: si stannum, Iupiter: si ferrum, Mars: si cuprum, Venus: si argentum uiuum Mercurius. Hæc uniuersa his maxime proderunt, qui metallorum metamorphosim quandam ignis ope facere conantur. Quibus merito gaudendum est, quòd authore Auicenna, species rerum mutari non possunt. Nam si uotis ipsorū successus responderet, nullus egestate premeretur, cū hodie uel ditissimos omnia igne illo, absumere, & in uniuersum decoquere uideamus. Quotus enim quisq̃ est, quem hæc fallax nugarum assentatrix diuitem fecit? Assero igitur astrosum influxum ea iuuare, quæ natura duce in factum exire possunt, non ea, quæ impossibilia ex naturæ serie cognoscuntur.

Arborum pro ædificijs cædendarum, idoneum tempus eligere. Canon XXI.



Luna decimaquinta usq̃ ad uicesimam secundam arbores excindi debent, ex quibus ædificia quæq̃, aut opera publica fabricanda sunt. His enim tantum octo diebus cæsa materies immunis seruatur à carie. Reliquis autem diebus præcisa, interna uermium quasi scabie exesa, in puluerem uertitur. Præterea hoc quoq̃ ea in re obseruandum est, ut post Solstitium æstiuum, usq̃ ad Calendas Ianuarij talis materia cædatur. His namq̃ mensibus arefcente humore, sicciora, & ideo robustiora solidioraq̃ sunt ligna,

I iij Quarta